

S T A T . M E D I O L A N . P A R S M E R I D .

namentum , quam nobilis victoriae monimentum , statuisse , scripserunt . Paullus Iovius cum reliquis censem Langbardo inter direptae Ravennæ prædam etiam hoc signum exportasse & Ticini fixisse . Pone forum , in quo sita hæ statua , alterum est . idque amplius , à quo transire ad arcem datur , non præterito tamen gymnasio , eo magis , quo proprius est viæ ad arcem ferenti . Id instituisse Carolus Magnus creditur : propagarunt deinde alii Principes , conductis stipendio clarissimis Doctoribus . Quid singulos referre opus ? omnium instar Baldus & Iason sint , fama noti super æthera ; quorum vel cineres nobilitare hanc urbem queant . Ille

*Filius Astrææ , morum pater , artis alumnus
Cæsareæ , verus religionis honor :
Baldus Perusti ducens cognomen ab urbe
Clauditur hic : animam sidera summa tenent .*

Iason in suburbana S. Iacobi æde sepultus isto cum titulo : *Iason Maynus Mediolanensis Jur. Conf.* Comes & Eques talis , qualis fuit , hic jacet , &c. Neque vero fileo Andream Alciatum , volitat enim docta per ora virūm . Vir amplissimam inter Italos I.C. promeritus laudem , quod non , ut plerique , semibarbare , sed Romana jura Romano sermone tractavit . Floruit Ticini , & diem obiit , conditus in S. Epiphanii templo , marmoreo sepulchro . Illi quoque ad Carmelitas siti non prætereundi : Cato Saccus & Iohannes Franciscus Ripa , doctrinæ majoris ; quam famæ Iurisconsulti . Memorandus item Franciscus Curtius Senior , apud Franciscanos tumulatus ; ut nempe jurisperitia Baldo proximus , sepulchro juxta esset . Sed arcem , Ioannes Galeatus idem , qui pontem , construxit , multos ante annos , quod forma satis indicat . Quadrata est , angulos item quadratis turribus munita . Vrbs universim hinc aggeribus , fossis , lateritiis propugnaculis , inde flumine tuta .

Scripsit antiquitates Ticinenses Iacobus Gualla , Iurisconsultus ; Encomiumque urbis Henricus Farnesius Eburo , Via , qua Mediolanum itur , Vivarium est , quadrata forma , circuitu xx miliarium Italicorum , vulgo dictum *Il Barro* ; desinens ad nobile sumptuosumque Carthusianorum monasterium , vulgo *La Certosa* . Ager optimus , supraquæ modum fertilis tritici , vini , reliquorumque fructuum ; tantæ passim ubertatis , amoenitatisque , ut vulgo *Il Giardino di Milano* , *Mediolani Hortulus* , audiat .

Cis Padum Dertona civitas est , non admodum formosa , Tortona vernacula . Condita perhibetur à Liguribus , vel , ut alii volunt , à Gallis ,

& ab his primum *Antilia* , deinde *Terdona* à tribus donis , id est , miraculis ejus urbis , ut ajunt , denominata : quorum primum in *Saxo* , quod copiose oleum emittebat : secundum in *Fonte* , quotannis festo Natalis D. Ioannis Baptista largissime fluente : tertium in *Pane* , qui sectus , paulo ante quam nobiles aliquot viri mortem essent oppediti , sanguinem stillaverat . Apud Plinium colonia est Romanorum . A Frederico Ahenobarbo Cæsare funditus olim eversa , post à Mediolanensis ad pedem collis in planicie restituta . In colle , qui urbis arcem habet , ædes est paretusta D. Virginis matris . Episcopalis est sedes , quam præter alias D. Martianus nobilitavit . Ager suburbicarius bonus & fœcundus , tritici , hordei , aliарumque frugum , vini item & glasti fertilis . Nobiles in ea *Guidoboni* , *Calanchini* , *Buffeti* , *Montemerli* , *Croſſi* , *Gentili* , *Rebrochi* , *Malpassuti* , *Vifardi* , *Calvini* , aliisque .

In agro Laumellino civitas est *Novara* . Tacticito *Novaria* dicitur . In modico sita est colle , diu sub Mediolanensem ducum fuit imperio : inde *Turrianos* , *Vicecomites* , *Sfortias* , *Franciæque* reges dominos agnovit , tandemque *Carolum V* , ejusque heredes . Frustratur ea certis legibus *Parmensi* Præcepis . Pernobiles habet familias , *Tornelliorum* , *Caballatorum* , *Bruſatorum* , quorum intestinis bellis misere est jactata . Traditus est Gallo venditusque in urbis castro ab *Helvetiis* *Mediolani* *Dux Ludovicus Sfortia* anno cīo 10 . Claros genuit viros , *Albutium Silonem* , magnum *Augusti* principatu Oratorem : *Petrum Lombardum* , *Episcopum Lugdunensem* , *Sententiarum* auctorem : *Ioannem Mariam Cataneum* , poëtam . Ager ipsi partim planus & fertilis , partim sterilis & montosus .

Ad confluentes Bormiam *Tanarumq* ; *Alexandria* visitur , cui nomen ab *Alexandro III* , Pontifice Maximo , cognomen à *Palea* , quod , quæ nonnullis mens est , stramineam hic coronam Imperatores designati quondam accipere consueverint . Sed fabulosum hoc omne . Sita est inter duos amnes *Tanaro* suburbia divellente , amoenissimo loco . Incolæ animi ingeniique excelsi . Diu in *Vicecomitum* fuit potestate , post in *Sfortiarum* , inde in *Franciæ* regum , quamdiu quidem illi *Mediolanensis* imperarunt . Nunc regis *Hispaniarum* subest ditioni . Ortu floret *Georgii Merulae* . Trans *Tanarum* est *Borgolium* , ipsa *Alexandriæ* suburbia , sic à vico *Borgolio* , quem ante *Alexandriam* conditam inauratores habitabant , dicta , si *Merulae* credimus . Transitus amnis ex civitate in suburbia ponte jungitur .

*Gymna-
ſium.*

Arx.

Dertona.

*Alexan-
dria.*